

ΜΕΣΑΤΟΣ

Nomen *Mesati*, poetae tragici, qui Sophoclis aequalis fuit, nuper in Pap. Ox. 20 (1952), № 2256 frg. 3 denuo in lucem prodit et vehementer animos virorum doctorum permovit. Qui eo usque pervenerunt, ut nomen Μέσατος omnino existitisse negarent. Quibus omnibus docte respondit A. Lesky in *Hermæ* vol. 82 (1954), pag. 10, cum non solum apud Romanos nomina *Quinti*, *Sexti*, cet. occurrere, sed etiam apud Graecos Πρότερον, Ὀψιμῶν infantes appellari solitos esse et nomen Mesati etiam aliunde satis notum esse ostenderet. Sed adhuc nomen nonnullis mirum esse videtur: quomodo enim parentes scire potuissent filium, qui modo natus esset, medium ex omnibus, qui iam nati essent et postea nascerentur, dicendum esse? Neque enim liberis tum demum, cum omnes nati sint, nomina imponi. At plurima nomina liberorum votum aliquod exprimunt, cuius generis ea sunt, quae in -κλης, -σθένης, alia exeunt. Itaque *Themistocles* id nomen accepit, cum natus esset, ut posthac *iure clarus* haberetur, neque id omnibus, qui eiusdem nominis erant, contigit. Cum igitur puero nomen *Mesati* inderetur, parentes eum non postremum, sed *medium* tantum esse voluerunt e liberis, quibus se augeri cupiebant.

Deinde forma nominis in -ατος desinentis suspicionem movet, quod poetarum propria sit. At suffixum -ατος eo facilius se insinuavit, cum ex altera parte animis parentum ὕστ-ατος (υἱός) obversaretur. Tum idem fere suffixum in nomine oppidi, quod est Μεσάτις, occurrit, de quo Paus. 7, 18, 4 (Schubart) haec tradidit: ὠκίσθη δὲ καὶ τρίτη μετὰ τὴν Ἀνθείας καὶ Ἀρόης Μεσάτις πόλις. Unde satis apparet nomen ab eo inventum esse, quod oppidum medium e tribus erat, neque quisquam contendet id nomen oppido a poetis impositum esse. Itidem nomen promunturii Μεσάτη apud Paus. 7, 5, 6 explicatur: . . . πρὸς ἄκρα καλουμένη Μεσάτη· ἢ δὲ ἐστὶ μὲν τῆς ἠπείρου, τοῖς δὲ ἐκ τοῦ Ἐρυθραίων λιμένος ἐς νῆσον τὴν Χίων πλεύουσι τοῦτό ἐστι μεσάιτατον. Praeterea μέσατος ut appellativum usurpatur in papyro quadam saec. VI scripta et *arbitrum* designat, v. Liddell—Scott—Jones⁹ s. v. neque id poetis tribuemus.

Ljubljana.

M. Grošelj.